

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
P R O R E C T O R
ANDREAS WEBER
CVM CANCELLARIO ET SENATV
EXSEQUIARVM HONOREM ET MEMORIAM
VIRI DVM VIVERET SVMME REVERENDI EXCELLENTISSIMIQVE
IOACHIMI OPORINI
S. THEOLOGIAE DOCTORIS, ET PROFESSORIS PVBLICI ORDINARI
C O M M E N D A T C I V I B V S.

G O T T I N G A E
TYPIS IO. CHRISTOPH. LVDOLPH. SCHVLTZII ACAD. TYPOGR.

Biogr. erud.

D. 222, 14.

ACADEMIAE GEORGIAE MAGISTRAE

PROFESSOR

ANDREAS WEBER

CUM CANCELLARIO ET SENATU

REPUBLICANAE HONORIS ET AUCTORITATIS

INSTITUTIONIS HUIUSMODI

ACADEMIAE GEORGIAE MAGISTRAE

COMMISSARIATU

COMMISSIONE

HAEC IN CHRISTO FIDELITER SERVAVIT AC AD TYPUM

Iacturam fecit haec Academia ingentem, & nescimus an facile reparabilem, in anima Viri non munere magis suo quam virtute Excellentis ac Venerandi, non pietate minus quam humanitate amabilis, IOACHIMI OPORINI, cuius a nobis memoriam comiter conseruari, & tum his qui nunc viuunt, vobis praesertim, CIVES, tum his qui post nos erunt, diligenter commendari, non tantum ipsius interest, quantum ipse illud meretur; sed eorum refert maxime, quos ipsius expressa aliquatenus imago vel ad vestigia viri premenda excitare, vel quocunque genere meliores reddere poterit. Hoc dum agimus, non opus est, vt generi illius & nomini splendorem conciliatum eamus ab IO. OPORINO, clarissimo homine, qui inter doctos typographos nisi principem locum, inter principes profecto, sua virtute, suis meritis consecutus est: non indiget illa corolla noster. Consuetudini tantum etiam hoc damus, vt breuiter ortum viri, & cursum vitae quem tenuit ante quam ad nos veniret, enarremus.

Natus est IOACHIMVS OPORINVS Neomonasterii, qui Holsatiae Ducalis vicus non ignobilis est, coenobio Falderae olim, & Vicelini commemoratione, quem Apostolum Holsati suum memorant, insigni, die XII Septembris A. MDCLXXXV. Patrem habuit CONRADVM, sacrorum ibi praesulem, anno saeculi nostri XV pie defunctum: matrem, quam puer amisit, ANNAM ELISABETAM, M. IOACHIMI GISAEI, Ecclesiastae apud Kilonienses primarii filiam. Educatus primum in ludo patrio, vsusque Praeceptore Io. Rhodio, hinc in disciplinam datus Io. Teurkauffii, qui ex Conrectore Clausthalensi & Northusano, (qua in vrbe etiam sacrorum ad D. Blasii antistes fuisse dicitur) priuatus Hamburgi tum viuebat, cuius & integritatem, & in Graecis Latinisque literis peritiam, noster laudabat. His ab illo imbutus Kilonium adiit A. S. XI, ibique Philosophicis pariter & Philologicis literis operam enixam dedit sub non poenitendis magistris, Koenigsmanno, Genzkenio, P. F. Opitio, Seb. Kortholto. Ex Theologis praecipue sectatus est Alb. zum Felde & Henricum Muhlium. Feldenianam sibi memoriam eo praesertim nomine dulcissimam praedicabat, quod desiderium sacras literas intelligendi accuratius exsatiauerit. Hoc Praeside A. d. XVI *Praetensiones & subiectos Regni Christi* publice nec sine plausu disputauit. Eodem anno Witembergam se contulit, Wernsdorfique, & Chladenii & Schroeeri, celeberrimorum ea aetate virorum, nunc caelitum, in subselliis Theologicae doctrinae omnigenae thesauros collegit, mox reliquas etiam Saxoniae Academias, Lipsiensem, Ienensem, Halensem, certe notitiae causa, salutauit. Peregrinationi autem, quam moliebatur Anglicae gliscens iam tum languoris morbus intercessit. Qui tamen non impedit, quo minus ab anno inde saeculi XIX totum se Academiae vitae traderet. Quam ob rem Philosophicam lauream a Witembergenfibus absens & petiit & impetrauit, praelectionum autem habendarum ius & facultatem a suis Kiloniensibus meruit conscripta dissertatione *de perennitate animi humani*. Quo facto mereri de iuuentute studia aemulantium, quantum per vacillantem subinde valetudinem liceret, priuatis recitationibus studuit, & libris aliquot scriptis otii sui rationem reddere: quo dum tranquille fruitur, a Serenissimo Regalisque fastigii Principe CAROLO FRIDERICO, Duce Holsatiae extra ordinem profiteri in illa Academia Theologiam omnem, & concionum ad populum habendarum artem, iussus est, & praeterea supremi Consistorii Assessor esse. Sic nempe moribus Germaniae vocatur, iudicium quod de iis hominibus exercetur & rebus, quae cum publicis religionibus coniunctae sunt. Vix biennium in hoc vtroque munere exegerat, cum bonus bonae famae odor, quem & doctrina viri & virtus iam tum sparserant, etiam ad Illustrissimum Maecenatem nostrum MVNCHHVSIVM, & per hunc ad ipsum POTISSIMVM REGEM nostrum, quem Deus amet! perlatus, in causa fuit, vt ad ordinarium Theologiae docendae munus in hanc nouam ea tempe-

state scholam, in quam studiose deligerentur, quorum iam certa exstarent doctrinae & sapientiae pignora, & ipse aduocaretur. Dimissus, ut cari amici solent, a Serenissimo Principe, & huc delatus, initium tale operarum fecit mense Maio A. XXXV, ut statim intelligere, quae tum erat nostra iuuentus, videretur bona viri & sua, tanti concursus ad illum facti, tam pleni doctrina & admiratione illius redibant. Solebat ille, ut reliqui ordinis illius viri, cum nondum aedem sacram, nondum suum concionatorem, ne auditorium quidem publicum, haberet Academia, dominicis diebus pomeridianos quosdam de rebus sacris sermones habere, ad quos audiendos initio admittebantur in vicino cubiculo etiam alterius sexus & conditionis cuiuscunque homines. Et fuerunt ista semina caelestis verbi non infecunda, licet ordinatis postea rebus nostris conuentu illo in Auditorium Theologorum, aedemque mox Academicam translato, constitutoque deinde viro, qui hanc ipsam prouinciam solus sustineret, certo consilio tota res intermissa sit.

Ceterum ab eo inde tempore bonis omnibus amabilis pariter & venerabilis esse Oporinus, commendari viro eminentis fortunae adolescentuli, quos vellent parentes gustu quodam atque odore religiosae virtutis, priuatissimo etiam studio, imbui: & licet Theologiae apud nos Professores non distrahantur ministerii sacrorum curis, tamen confugiebant ad virum, cuius eluceret per ipsum modestiae velum sanctitas, qui consilio vel solatio religioso opus haberent. Inter haec creuit etiam exquisitae laus doctrinae, cum legitima pro Doctoris gradu obtinendo faceret in magna Panegyri, quae ad inauguralia sacra nostra conuenerat, scriptisque aliis, quae seorsim commemorari, quibusdam lectorum commodius est. Quod plura non habemus illius diligentiae pignora, mirum non est: sed mirum est, tot ac tanta nos habere, a viro tenuis adeo & imbecillae valetudinis, quae non pateretur vehementius intendi, quae facile nimis fatigaretur & succumberet. Idem de praelectionibus dicendum, quas diligenter, nec sine accurata meditatione, obibat: multas eodem tempore habere, vocis etiam magnitudine commendare, per eandem infirmitatem prohibebatur. Sunt interea bene multi, qui se fideli & sapienti illius opera doctiores melioresque factos, vere possunt gaudere, qui accepta ab illo salutaris eruditionis semina partim iam spargunt in plures, partim Deo bene iuuante spargent. Et, si vltimis temporibus, quod fatum non nunquam praestantissimorum fuit hominum, paucis prodesse potuit, per hos ipsos tamen, & per libros ipsum suos saeculis etiam futuris vtilem & carum fore, nulli dubitamus.

Si quis autem accuratius nosse Oporinum qua Theologus fuit, & velut notationem quandam & charactera illius formare velit, is haec fere deprehendet. Rectarum probatarumque publicis confessionibus nostris sententiarum & peritus & tenax, Feldenianam praesertim rationem secutus, religionis naturalis terminos & seruare & diligenter tueri studebat, qua in re non suis tantum utebatur rationibus atque argumentis; sed Anglorum in primis scripta in vtramque partem diligenter legebat, comparabat, suisque velut pendebat ponderibus, praeter cetera in doctrina de animorum immortalitate, de his quos Angelos vocamus Christiani, quatenus de vtraque re ex naturalibus argumentis disputatur, sollicitus. Haec ille argumenta parum firma putabat: quae protulere Philosophi, ea vel coniecturis non satis firmis, vel famae a Iudaeorum libris protectae assignabat. Nempe referebat omnia eo, ut his vel coniecturis vel traditionibus velut manu ducerentur homines ad diuinae mentis per sacros libros nostros reuelationem. Hos libros nostros summa ope, tanquam vnicam credendi viuendique regulam, defendebat: horum diuinitatem ex perpetua, deuincta inter se, magisque subinde per interualla quaedam aucta, serie & velut catena oraculorum de filio Dei, & reparanda per illum generis humani felicitate, demonstratum ibat; ad religionis nostrae mysteria non admittebat philosophiam, suum genus ἀποδείξεως, (hoc enim

enim est demonstrationis;) relinquendum veritati reuelatae censebat, neque
contaminandam eam esse philosophorum commentis, quibus quemquam fie-
ri meliorem, magis certe Christianum, negaret. Ceterum totus in eo erat,
nullam ut esse salutem, extra viam illam a Salvatore nostro apertam, doceret:
vanam ac nullam adeo esse religionem, quae non moueret ipsam quoque
voluntatem: ne veram quidem vsquam virtutem esse, quae non ex fide Chri-
stianorum proficisceretur. Haec suis auditoribus inculcare semper, haec
omnibus suis scriptis contendere, haec tota vita sua, haec dum paulatim mo-
ratur, rebus manifestis comprobare.

Vt his in sententiis tuendis acris erat, neque sibi integrum putabat,
hac parte cuiquam concedere: ita ceteris in rebus facilis, humanus, liberalis,
qui se Christi discipulum *φιλανθρωπία* quadam etiam probaret. Neque vero
intra cancellos velut Academicos & studiosos sacrarum literarum iuuandos
Vir beatus substitit, sed amicitias, literarumque commercio plures complexus
est, in his magnos etiam, & in gradu insigniori constitutos, vtriusque se-
xus homines, quorum auctoritas, gratia, exemplum, vel post mortem Vi-
ri bona multa efficiet. Habebat hoc ab ingenio miti, & a gratia diuina sub-
acto, ut consuetudo etiam familiaris illius esset iucunda admodum. Quis
enim non libenter versaretur cum viro modesto, humano, liberali, quem
grauitas sua non prohiberet quo minus vel aliis se indulgeret hospitem, non
multi illum quidem cibi, sed sermonis iucundi, vel vicissim exciperet ami-
cos coenis, in quibus vultus ipse conuiuatoris serenus, explicata frons, &
sermo sale candido & puro conditus, pro iucundissimo ferculo esset.

Sed nec summa frugalitas poterat illum nobis praestare valentiorum,
nec vitam tam pretiosam summa ars humana producere. Audiamus vnum
virum, a quo seruatus esset, seruari si arte & beniuolentia potuisset, **ILLVST.**
RICHTERVM nostrum:

” Eximio Viro, cuius hodie obitum & ecclesia & academia, & quidquid
” ingenuorum hominum est, acerbe luget, imbecillum a teneris & grauioribus
” morbis obnoxium corpus fuit: ita ut ipse olim ad spem aetatis illius, quam
” attigit, nunquam sibi videretur eniti posse. Suauissima animorum coniun-
” ctio septem retro lustris inter nos nata, & aemulis mutui amoris officiis sol-
” licite sustentata, facile illi consilium suggessit, suas de valetudine querelas
” ad me deferendi, mihi obfirmavit animum, tam charam salutem omni co-
” gnito artis ministerio fulciendi. Iam ante vero inter primos valetudinis sco-
” pulos, in quos nondum perspectos citra culpam suam iuuenis impegerat,
” simul incidit in duriusculum medicorum genus, quod protracto quotidie
” ultra annum drasticorum purgantium vsu tenerum corpus adflixit, & reli-
” quum, si quis fuit, viscerum tonum intempestiua aquarum, quas medicatas
” vocant, illuc prostravit. Cum noster nondum triginta annorum esset, &
” sub hac languentissimae vitae umbra ab omni exercitio tum corporis tum
” animi desistere cogere, coepi rebus eius consulere, & reiecta omni auste-
” riori medicina, fractum & emaciatum corpus leuissima alimonia, moderatif-
” simis exercitiis & paucis selectioribus tonicis erigere nonnihil & refocillare.
” Vix sensit surgere aliquantulum vires, cum praeclara etiam bene de aliis me-
” rendi voluntas surgeret, nec amplius frena ista diligentiae, istas laborum
” inducias ferret. Magis tamen intra modum se continuit, abs me non ma-
” gis quam propria experientia edoctus, parum noui dispendii in ista virium
” penuria conuenire, & ad leues, quae passim ingruiebant, corporis
” iniurias vetera mala recrudescere, saeuam imprimis syndromen periodica-
” rum conuulsionum, quarum quidem maxime vis iam vltimis in Holsatia
” exactis annis, tota Gottingae sub primo triennio conquieuit. Hic, cum
” crebrior inter nos, quippe eorundem aedium incolae, de opportuno vitae
” regimine sermo esset, ita vixit, ut ultra decennium valetudo, qualis in il-
” lud corpus cadere poterat, confirmatior sibi constaret, & negotiis, incre-
” dibili

" dibili semper fide & assiduitate gestis, sufficeret. Non robur virium erat,
 " tuta tamen in necessariis fides, certe crebriorum offensionum expertus. In-
 " grauescente aetate, nec diminutis laboribus, coepit ad inclementiam aeris
 " tussi laborare, quae sensim contumacior latentem pulmonis labem prodidit.
 " Ineunte vere huius anni questus est de tussi nimis radicata, & cum olim re-
 " mitteret, iam ultra annum infestante, & sub inquietis noctibus vires omnes
 " ad summam corporis maciem conficiente. Obscuro effectum, quidquid au-
 " xiliorum oppositum est, profuit, cum religioni sibi duceret, cursum prae-
 " lectionum suarum suspendere, iis licet ipsis, qui ad eum audiendum conflu-
 " xerant, ut sibi parceret, tacite optantibus. Tandem proprio sensu nimis
 " conuictus, se iam voce & viribus in docendo destitui, inducias, tanquam ad
 " breue tempus, indixit. Nihilominus probe eorum memor, quae in anci-
 " cipiti malo euenire possent, res suas omnes, immo ipsius sepulturae, pri-
 " mum composuit, & tunc animo vnice ad aeterna conuerso nutum Domi-
 " ni sui exspectauit. Natum in pulmone vlcus liberali sputo leuari coepit,
 " & spes aliqua adfulgere, cum febris nondum labem ad interiora raptam,
 " appetitus deletus nondum inquinatos secretionum fontes argueret, abster-
 " gi adhuc pulmonem & repurgata loca consolidari posse. Ita aliquamdiu
 " progressus mali inhibitus fuit, victu lacteo, quam valde appetiit, deco-
 " ctis obstergentibus, lenissimis balsamicis & interpositis paregoricis, crebris
 " quoque in sereno aere post peractam coctionem unctionibus, vel etiam,
 " quantum vires ferrent, ambulationibus. Verum medio mense Augusti vis
 " illa concutientis tussis & lacerantis molles partes in tenero coalitu distrahens,
 " & sub pure reiecto moxque vberius renato abscessus limites extendens, cum
 " dyspnoea ad nulla sputa decrescente, extrema virium strage, oedemate pe-
 " dum, sudoribus nocturnis & diarrhoeis, adeoque toto grauissimi morbi fa-
 " tellitio elusit omnes artis suppetias. Non potuit corpus tot iniuriis re-
 " sistere, quin sanctam animam aeternae quietis & pacis cupidam e vinculis
 " suis dimitteret, natis in vltimo morbi stadio soporibus, qui cerebri, vnde
 " redux sanguis ad cor & oppletos pulmones aditum haud reperiret, oppressi
 " statum & iam imminentem placidissimam mortem nuntiabant. Ita nobis
 " ereptus est die V Septembris, hora inter decimam & vndecimam vespertinam,
 " consummatus & doctrina & vita Theologus, qui ut antehac sic in toto
 " morbi decursu, mirabile dedit modestiae, patientiae, pietatis & constantiae
 " exemplum, omnium credo animis, arctius etiam huic meo, quousque vi-
 " xero, inhaesurum.

Nempe hic vltimus vitae actus plane reliquo illius tenori consentiens & re-
 spondens ostendebat ipsum primo omnium sibi persuasisse, quae diuina qua-
 dam suauitate nouimus illum quibusdam, implorantibus hanc opem aegrotis
 commendare, qui illum solebant ut angelum quendam lectulo suo assiden-
 tem videre atque audire, quibus ille, si putaret animos satis peccatorum do-
 lore contritos, & Christi cupidos, ita implere spe & imagine quadam futu-
 rae felicitatis solebat, ut qui sanctum quendam *πεισιδαιμονον** illum vocare
 velit, is errare minime videatur. Apparebat profecto, non temere illum scri-
 psisse, non tantum ex eruditionis & facundiae quibusdam thesauris depromsis-
 se librum *de spe morientium*. Qui per hanc aetatem inuisere languentem, se-
 rio audierunt illum asseuerare, se quae illis de rebus, ac de spe vniuersa Chri-
 stianorum scripserit, dixerit, ea vera esse nunc quoque interno sensu cogno-
 scere, & rogare Deum, ut ea sibi liceret non interturbatis a morbo sensibus
 ad vltimum vsque spiritum profiteri. Contigit ipsi, quod optarat: quo ma-
 gis

* Nomen Hegesiae quondam datum Cyrenaico Philosopho, qui de miseria humana ita
 disputabat, ut multi morte eam voluntaria vellent relinquere. Vid. Menag. ad
 Diog. Laert. 2, 86.

gis mors appropinquaret, eo lactiori & erecto magis animo illam exspectabat, vt vix sponſus ſponſam ſibi exoptatiſſimam propenſiori animo, gaudio maiore exceperit, quam noſter OPORINVS illud, quod terribilium omnium naturae humanae maxime formidabile Philoſophi & experientia quotidiana confirmant. Dicit pro concione Ven. BLOCKIUS, qua mentis alacritate vir ſanctus ſacris illis & myſticis epulis paſtus fit, quam tranquillo animo de ſunebri ceremonia conſtituerit. Illa porro concio habebitur die craſtini, qui natalis viro fuit, nempe

a. d. XII Septembris Hora II in aede Academica.

Eo nobiſcum conuenite, CIVES, & vt ſimilem moriendi felicitatem confequamini, Deum non votis ignavis, ſed mente ad obſequium diuinae voluntatis compoſita, rogate. Si enim vsquam, hic proſecto locum habet Apoſtolica adhortatio, de conſiderando exitu vitae doctorem, atque imitanda fide. Moriamur, annue, Ieſu Chriſte, Deus, noſtris votis! Moriamur mortem huius iuſti! P. P. a. d. XI Sept. clocccliii.

SCRIPTA B. VIRI.

Historiae criticae de perennitate animi humani, diſſ. prior. Kilon. 1719.

Epistola in Platonis, de vinculo Deo cum materia intercedente, placita inquirens. In nouis Litter. Lipſ. Latinis. 1719.

Prodromus historiae criticae de cauſis & fundamentis rationibusque doctrinae de natura & vita animorum perenni. Hamb. 1730.

Paradies der Ehe, darinn bestehend, daß der Mann des Weibes Haupt iſt. Schlefſwig 1731.

(Hoc libello gratulatus eſt nuptias Viro Ill. Richtero, mox noſtro)

Geschmack der Wahrheit und Tugend, wie ſolcher zu verbessern ſtehet, durch vernünftige Vorbereitung munterer Gemüther zur Grundlegung Göttlicher Lehre, und deſto unanſtößigern und erbaulichern Leſung der Bibel. 1730. 8.

Historia critica doctrinae de immortalitate mortalium. Hamb. 1734.

Oratio: de acerbis facetiis & aduentitio recentiorum Scepticorum tepore in ſacram de creatis ſpiritibus doctrinam maxime iniurio, ex qua natales duxit,

Der im alten und Neuen Testamente unterschiedene, auch ungleich eingesehene Dienst der guten Engel, nebst der augenscheinlichen Rache des Messiae an dem Teufel, d. i. die erläuterte Lehre der Hebräer und Christen von guten und bösen Engeln. Hamb. 1735.

Diſſ. de demonstratione Spiritus ac virtutis, tanquam vero adificationem Homileticam cognoscendi principio, in I. Cor. II, 4. Kil. 1733.

Progr. de perpetua lege cathedrae Theologorum academicae ex mente & exemplo Pauli. I. Cor. II, 4. 5. ſtabilita. Gott. 1735.

Progr. Pentecostale: Apologia pro effectis

Spiritus S, aduersus errantium vanas aut prophanas cogitationes. Ib. eod.

Progr. Paſchale: Certitudo perennis hominum vitae, morte corporis non obſtante, per experimentum reſurrectionis domini noſtri Ieſu Chriſti inuicte confirmata. Gott. 1736.

Die alte und einzige Richtſchnur überzeugend und erweckend zu predigen. 1736. und Erläuterte Richtſchnur. 1737.

Diſſ. de gloria obſcurioris de Meſſia teſtimonii prophetici, Parergorum Gotting. To. I inſerta 1736.

Diſſ. inauguralis pro ſummis in Theologia honoribus, Vindicias Pauli regeniti ex intimo dolore ob labem congenitam, Rom. VII, 14. cum affectu loquentis exhibens. Gott. 1737.

Erſte Aſcetiſche Rede nach der Vniuerſitäts-Einweihung aus 4. Moſ. XXIV, 17. Ib. 1737.

Progr. Natalit. Gloria obſcurioris quodam modo nuncii de nato filio Dei. Luc. II, 9. ib. 1737.

Commentatio de vſu doctae ſimplicitatis contra Scepticos, in qua primum efficacia illius in demonſtranda & vindicanda religionis Chriſtianae diuina origine explicatur: deinde imitatio huius doctae ſimplicitatis contra noſtrae etiam aetatis Scepticos commendatur, denique, praeſtantia eiusdem prae noua V. Cl. Iac. Carpouii ſubtilitate contra Scepticos illuſtratur. Gott. 1739.

Allocutio ad auditores ſuos, qua diſcrimen inter Theologiam moralem atque aſceticam vberius explanatur. Ib. eod.

Progr. paſchale, de Meſſia, cum infans eſſet, periculo mortis per ſeminam ſubtracto, deinceps autem adulto poſt mortem expergefacto &c. Ier. XXXI, 22. 26. ſeq. 1739. (Recuſum eſt hoc programma in Miſcell. Groning. T. II.

T. II.

T. II, p. 519. seq. in Meditationum Exegeti-
carum Triga)

Commentatio de firmitate ac inspiratione
diuina demonstrationis Noui ex Vetere Testa-
mento Evangelicae. 1740.

Progr. Pentecost. de Feruore precum pro-
pter Spiritum S. Luc. XI, 1-13. 1740.

Apologia pro vsu doctae simplicitatis con-
tra Scepticos, aduersus Iac. Carponii speci-
men I. & II. subtilitatis simplicitate non ex-
pugnatae. Lipsi. 1741.

*Theologisches Bedencken über den Grund-
riß einer Lehrart ordentlich und erbaulich zu
predigen nach dem Inhalt Königl. Preuss. Cabi-
nets Ordre. 1739. nach der Wahrheit, Beschü-
denheit und Liebe abgefaßt. Hannov. 1741.*

Disp. Ioannis Apostoli paraenesis ad primos
christianos de constanter tenenda communio-
ne cum patre ac filio eius Iesu Christo. i. e.
Ioannis Epistola I. nodis interpretum liberata,
& luci fere innatae suae restituta. Resp. B.
Hamkens. Gottingae 1741.

Progr. Natal. de elogio Apostolico Mys-
terii Pietatis, Deus manifestatus in carne. 1.
Tim. III, 15. 16. 1741.

Inuitatio ad audiendas recitationes, cui prae-
mittuntur Vindiciae nouae commentationis
de vsu doctae simplicitatis contra Scepticos,
Nouis actis Lipsi. T. IV. Secl. II, p. 59-72 op-
positae. Gott. 1742.

Progr. Natal. quo ad *Φιλεωθεωπλεω* filii
Dei propter genus humanum natura prauum
ac miserum ex virgine nati, digne ac huius-
modi, atque pie gustandam hortatur, praemisso
examine Apologiae alicuius pro genere hu-
mano, quali per naturam nec prauo, nec mi-
sero, quam exhibuit Dn. de Voltaire. Gott.
1743.

Disp. Clavis Evangelii Ioannis Historico-
Ecclesiastica, quae dextre applicata patefecit,
totum Euangelium Ioan. nihii aliud esse, quam
demonstrationem Anticerinthianam de Iesu
θεωσωτηρω mundi seruatore. Resp. W. F.
Lütjens. 1743.

Disp. Primae lineae systematis prophetici
de Seruatore generis humani ex intimis solius
V. T. visceribus eruti. Resp. A. W. Rensch.
Gott. 1744.

*Die Kette theils der in den Büchern A. T.
befindlichen buchstabl. Vorherverkündigungen
von dem Heylande des menschlichen Geschlech-
tes untereinander: theils des in den Opfern
gestifteten Furbildes von ihm mit der ersten
Vorherverkündigung: aus den allgemeinen
Büchern A. T. gewiesen. Gött. 1745.*

*Die Kette theils der in den Büchern A. T.
befindlichen buchstabl. Vorherverkündigungen
von dem Heylande des menschlichen Geschlech-
tes untereinander: theils des in den Opfern
gestifteten Furbildes von ihm mit der ersten
Vorherverkündigung: aus den allgemeinen
Büchern A. T. gewiesen. Gött. 1745.*

Progr. Natal. de Aduentu Christi, salua Dei
bonitate, diutius post primam eius promissio-
nem protracto. Ib. eod.

Diff. Simplicitas diuina sententiae Paulinae
Ephes. VI, 12 de hostibus Euangelii non imbe-
cillis tantum pseudo-doctoribus, sed mali-
gnis etiam spiritibus, explanata & vindicata.
Resp. H. D. Kippe. Gott. 1746.

*Der Prophet Zacharias aufs neue übersezt,
umschrieben, zergliedert, und mit Anmerkun-
gen begleitet. Gött. 1747.*

Progr. Natalit. Principatus, quem Christus
ante & post natiuitatem suam gessit. Esai. IX,
5-6. 1747.

*Die Geschichte des auf göttl. Ansehen jeder-
zeit gegründeten Glaubens an den Welthei-
land. Hannov. 1749.*

Progr. Pentecost. de ecclesia N. T. planta-
ta non historiam tantum Spiritus S. sed ipsum,
etiam Spiritum S. habente, Sam. Chandlero
& Ge. Bensonio, Anglis eruditissimis, oppo-
sita. Gott. 1749.

Disp. Oracula Esaiiae Cap. 40-55 plus quam
Esaiana & diuina. Resp. A. F. Kindt. 1750.

Progr. Promotioni D. Lindegren Sueci
praemissum de crimine rationis reuelationi
hodie obstreptis plus quam Iudaico. 1750.

*Eortgesetzte Nachricht von dem Göttingischen
Waisenhause, dessen Wohlthäter, als wahre
Menschenfreunde gepriesen werden. 1750.*

*Die Religion und Hoffnung im Tode, in ih-
rem Zusammenhange bewiesen. 1751.*

Progr. Paschale de vita perenni Iesu a mor-
te reducis. 1751.

Disp. Isagoges in *βιβλακειδιον* Apoc. cap. 10-
22 descriptum diss. prima, Scepticismo inter-
pretum exegetico opponens clauem quandam
authenticam-analyticam. Resp. G. T. Falcken-
hagen. Gott. 1752.

*Die zum zweytenmal ausgearbeitete Kette
der Weissagungen, furbildl. Opfer und Rei-
nigungen Alter Testaments. Götting. 1752.*

Progr. Pentecost. 1752. De praestantia tes-
timonii diuini, speciatim Spiritus S. de Iesu
filio Dei atque redemptore mundi prae huma-
no testimonio, quam Apostolus Iohannes I.
Ep. V, 6-10 inculcat.

Immortuus est editioni opusculi, quo me-
moratam modo Isagogen in *βιβλακειδιον*, co-
piously exsecutus est, cuiusque primas X pla-
gulas Lipsiae excusas vidit, *Einleitung in das
Büchlein der Offenbarung Iohannis, u. der
buchstäbliche Sinn der Weissagungen des Apo-
calypt. Büchleins &c.*

*Die Kette theils der in den Büchern A. T.
befindlichen buchstabl. Vorherverkündigungen
von dem Heylande des menschlichen Geschlech-
tes untereinander: theils des in den Opfern
gestifteten Furbildes von ihm mit der ersten
Vorherverkündigung: aus den allgemeinen
Büchern A. T. gewiesen. Gött. 1745.*